finis est. frequensque meditatio, carnis est afflic-
tio. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum ti-
me et mandata eius observa. hoc est enim omnis homo. Et
cuncta que fiunt adducet deus in iudicium pro omni
errato sive bonum sive malum sit.

I Osculetur me osculo oris sui. Quia
meliora sunt ubera tua
vino. fragrantia unguentis
optimis. Oleum effusum
nomen tuum. ideo adulescen-
tule dilexerunt te. Trahe
me post te. curremus in odore
unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cel-
laria sua. exultabimus et letabimur in te. Me-
mores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt
te. Nigra sum sed formosa filie ierusalem. sicut taberna-
cula cedar sicut pelles salomonis. Nolite me con-
siderare quod fusca sim. quia decoloravit me sol.
Filii matris mee pugnaverunt contra me. Posuerunt
me custodem in vineis. vineam meam non custodi-
vi. Indica mihi quem diligit anima mea. ubi pascas.
ubi cubes in meridie. ne vagari incipiam post
greges sodalium tuorum. Si ignoras te o pul-
cherrima inter mulieres. egredere et abi post vestigia
gregum. et pasce hedos tuos iuxta tabernacula
pastorum. Equitatui meo in curribus pharaonis
assimilavi te amica mea. Pulchre sunt ge-
ne tue sicut turturis. collum tuum sicut monilia.
Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas
argento. Dum esset rex in accubitu suo nardus
mea dedit odorem suum. Fasciculus myrre dilec-
tus meus mihi. inter ubera mea commorabitur. Botrus
cypri dilectus meus mihi. in vineis engaddi. Ec-
ce tu pulchra es amica mea. ecce tu pulchra oculi tui
columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi. et de-
corus. Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrarum
cedrina. laquearia nostra cypressina.

II Ego flos campi et lilium convallium. Sicut lilium
inter spinas. sic amica mea inter filias. Sicut
malus inter ligna silvarum. sic dilectus meus inter fi-
lios. Sub umbra illius quem desideraveram sedi. et
fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit
me rex in cellam vinariam. ordinavit in me
caritatem. Fulcite me floribus. stipate me
malis. quia amore langueo. Leva eius sub
capite meo. et dextera illius amplexabitur
me. Adiuro vos filie ierusalem per capreas. cervosque
camporum ne suscitetis neque evigilare facia-
tis dilectam. quoadusque ipsa velit. Vox dilec-
ti mei. Ecce iste venit saliens in montibus.
transiliens colles. Similis est dilectus meus capree
hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem
nostrum. respiciens per fenestras. prospiciens per

cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera ami-
ca mea. columba mea. formosa mea. et veni. Iam
enim hiems transiit. ymber abiit et recessit. Flo-
res apparuerunt in terra nostra. tempus putationis advenit.
Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protu-
lit grossos suos. vinee florentes dederunt odo-
rem. Surge amica mea. speciosa mea et veni. Co-
lumba mea in foraminibus petre. in caverna macerie.
Ostende mihi faciem tuam. sonet vox tua in a-
uribus meis. Vox enim tua dulcis. et facies tua
decora. Capite nobis vulpes parvulas que demo-
liuntur vineas. nam vinea nostra floruit. Di-
lectus meus mihi. et ego illi. qui pascitur inter lilia.
donec aspiret dies. et inclinentur umbre. Re-
vertere. similis esto dilecte mi capree. aut hinnuloque
cervorum super montes bethel.

III In lectulo meo per noctes quesivi quem dilig-
it anima mea. quesivi illum et non inveni. Surgam
et circuibo civitatem per vicos et plateas. queram quem
diligit anima mea. Quesivi illum et non inveni.
Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.
Num quem diligit anima mea vidistis? Paulu-
lum cum pertransissem eos. inveni quem diligit anima
mea. Tenui eum nec dimittam. donec intro-
ducam illum in domum matris mee. et in cubicu-
lum genitricis mee. Adiuro vos filie ierusalem
per capreas cervosque camporum ne suscitetis neque evi-
gilare faciatis dilectam. donec ipsa velit. Que
est ista que ascendit per desertum sicut virgula fu-
mi. ex aromatibus myrre et thuris. et universi
pulveris pigmentarii. En lectulum salomonis
sexaginta fortes ambiunt. ex fortissimis israel.
omnes tenentes gladios. et ad bella doctissimi.
Uniuscuiusque ensis super femur suum. propter timores noc-
turnos. Ferculum fecit sibi rex salomon de lignis
libani. Columpnas eius fecit argenteas. recli-
natorium aureum. ascensum purpureum. Media
caritate constravit propter filias ierusalem. Egredimini
et videte filie syon regem salomonem. in diademate
quo coronavit eum mater sua. in die
desponsationis illius. et in die leticie cordis eius.

IIII Quam pulchra es amica mea. quam pulchra es.
oculi tui columbarum. absque eo quod intrinsecus
latet. Capilli tui sicut greges caprarum. que a-
scenderunt de monte galaad. Dentes tui sicut
greges tonsarum. que ascenderunt de lavacro. omnes ge-
mellis fetibus. et sterilis non est inter eas. Sicut
vitta coccinea labia tua. et eloquium tuum dul-
ce. Sicut fragmen mali punici. ita gene tue.
absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris david
collum tuum. que edificata est cum propugnacu-
lis. Mille clipei pendent ex ea. omnis ar-
matura fortium. Duo ubera tua sicut duo hin-
nuli capree gemelli. qui pascuntur in
liliis. donec aspiret dies. et inclinentur
umbre. Vadam ad montem myrre. et ad col-
lem thuris. Tota pulchra es amica mea.

et macula non est in te. Veni de libano sponsa mea,
veni de libano, veni. Coronaberis de capite ama-
na, de vertice sanir et hermon, de cubilibus leonum,
de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror
mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum
tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulc-
hre sunt mamme tue soror mea sponsa. Pul-
chriora ubera tua vino, et odor unguentorum tu-
orum super omnia aromata. Favus distillans labi-
a tua sponsa, mel et lac sub lingua tua, et o-
dor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Ortus
conclusus soror mea sponsa, ortus conclusus, fons
signatus. Emissiones tue paradisus malorum puni-
corum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nar-
dus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis li-
gnis libani, mirra et aloe, cum omnibus primis un-
guentis. Fons ortorum, puteus aquarum viventi-
um, que fluunt impetu de libano. Surge aquilo,
et veni auster, perfla ortum meum, et fluant aroma-
V ta illius. Veniat dilectus meus in ortum suum, et come-
dat fructum pomorum suorum. Veni in ortum me-
um soror mea sponsa, messui mirram meam cum
aromatibus meis, comedi favum meum cum mel-
le meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Co-
medite amici mei et bibite, et inebriamini ka-
rissimi. Ego dormio et cor meum vigilat. Vox
dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, a-
mica mea, columba mea, immaculata mea,
quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei
guttis noctium. Expoliavi me tunica mea,
quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quo-
modo inquinabo illos? Dilectus meus misit ma-
num suam per foramen, et venter meus intremuit ad
tactum eius. Surrexi ut aperirem dilecto meo.
Manus mee distillaverunt mirram, digiti mei
pleni mirra probatissima. Pessulum hostii
mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat
atque transierat. Anima mea liquefacta est
ut locutus est. Quesivi et non inveni illum, voca-
vi et non respondit mihi. Invenerunt me custodes qui
circumeunt civitatem, percusserunt me et vulneraverunt
me. Tulerunt pallium meum custodes mu-
rorum. Adiuro vos filie ierusalem, si inveneritis
dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore lan-
gueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto o pulch-
errima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto,
quia sic adiurasti nos? Dilectus meus candidus
et rubicundus, electus ex milibus. Caput eius aurum
optimum. Come eius sicut elate palmarum, ni-
gre quasi corvus. Oculi eius sicut columbe super ri-
vulos aquarum, que lacte sunt lote, et resident iuxta
fluenta plenissima. Gene illius sicut areole a-
romatum consite a pigmentariis. Labia eius li-
lia distillantia mirram primam. Manus illius
tornatiles auree plene iacinctis. Venter
eius eburneus distinctus saphiris. Cru-
ra illius columpne marmoree, que fundate sunt
super bases aureas. Species eius ut libani, electus
ut cedri. Guttur illius suavissimum, et totus
desiderabilis. Talis est dilectus meus, et iste est amicus
meus filie ierusalem.
Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mu- VI
lierum? Quo declinavit dilectus tuus, et que-
remus eum tecum? Dilectus meus descendit in
ortum suum ad areolam aromatum, ut pasca-
tur in ortis et lilia colligat. Ego dilecto
meo et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lili-
a. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut
ierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.
Averte oculos tuos a me, quia ipsi me a-
volare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum que
apparuerunt de galaad. Dentes tui sicut grex
ovium, que ascenderunt de lavacro, omnes gemellis
fetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut cortex ma-
li punici sic gene tue absque occultis tuis. Se-
xaginta sunt regine, et octoginta concubine,
et adolescentularum non est numerus. Una est columba
mea, perfecta mea, una est matris sue, electa
genitricis sue. Viderunt illam filie, et beatis-
simam predicaverunt, regine et concubine, et lauda-
verunt eam. Que est ista que progreditur quasi aurora
consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut ca-
strorum acies ordinata? Descendi in ortum meum
ut viderem poma convallium, et inspicerem si floru-
isset vinea, et germinassent mala punica. Ne-
scivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas
aminadab. Revertere, revertere sunamitis,
revertere, revertere ut intueamur te.
Quid videbis in sunamite nisi choros castrorum? VII
Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis,
filia principis. Iunctura feminum tuorum si-
cut monilia, que fabricata sunt manu artifi-
cis. Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam
indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tri-
tici vallatus liliis. Duo ubera tua sicut duo hinnu-
li gemelli capree. Collum tuum sicut turris
eburnea. Oculi tui sicut piscine in esebon,
que sunt in porta filie multitudinis. Nasus
tuus sicut turris libani, que respicit contra damascum.
Caput tuum ut carmelus, et come capitis tui si-
cut purpura regis vincta canalibus. Quam pul-
chra es et quam decora carissima in deliciis.
Statura tua assimilata est palme, et ubera tua
botris. Dixi ascendam in palmam, et apprehendam
fructus eius. Et erunt ubera tua sicut botri vine-
e, et odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut
vinum optimum, dignum dilecto meo ad po-
tandum, labiisque et dentibus illius ruminandum. E-
go dilecto meo, et ad me conversio eius. Veni di-
lecte mi, egrediamur in agrum, commoremur
in villis. Mane surgamus ad vineas, vi-
deamus si floruit vinea, si flores fructus par-
turiunt, si floruerunt mala punica. Ibi da-
bo tibi ubera mea. Mandragore dederunt o-

nostris omnia poma nova et vetera dilecte mi servavi tibi.

VIII Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae ut inveniam te foris et deosculer te et iam me nemo despiciat. Apprehendam te et ducam in domum matris meae ibi me docebis et dabo tibi poculum ex vino condito et mustum malorum granatorum meorum. Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiae Hierusalem ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te ibi corrupta est mater tua ibi violata est genetrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum quia fortis est ut mors dilectio dura sicut infernus aemulatio lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parva et ubera non habet quid faciemus sorori nostrae in die quando alloquenda est? Si murus est aedificemus super eum propugnacula argentea si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus et ubera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea quae habet populos tradidit eam custodibus vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici et ducenti his qui custodiunt fructus eius. Quae habitas in hortis amici auscultant fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi et assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum.

Incipit liber sapientie

I DILIGITE iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate et in simplicitate cordis quaerite illum. Quoniam invenitur ab his qui non temptant illum apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversae enim cogitationes separant a Deo probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malivolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim spiritus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiae et non liberabit maledicum a labiis suis quoniam renum illius testis est Deus et cordis illius scrutator est verus et linguae illius auditor. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere nec praeteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit sermonum autem illius auditio ad Deum veniet ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione quae nihil prodest et a detractione parcite linguae quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit os autem quod mentitur occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitae vestrae neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim ut essent omnia et sanabiles fecit nationes orbis terrarum et non est in illis medicamentum exterminii nec inferorum regnum in terra. Iustitia enim perpetua est et immortalis. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam et aestimantes illam amicam defluxerunt et sponsiones posuerunt ad illam quia digni sunt qui sint ex parte illius.

Dixerunt enim apud se cogitantes non recte. Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae et non est refrigerium in fine hominis et non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus et post hoc erimus tamquam non fuerimus quoniam fumus afflatus est in naribus nostris et sermo scintillae ad commovendum cor nostrum. Qua extincta cinis erit corpus et spiritus diffundetur tamquam mollis aer et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis et sicut nebula dissolvetur quae fugata est a radiis solis et a calore illius aggravata. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus et nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbrae enim transitus est tempus nostrum et non est reversio finis nostri quoniam consignata est et nemo revertitur. Venite ergo et fruamur bonis quae sunt et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae ubique relinquamus signa laetitiae quoniam haec est pars nostra et haec est sors. Opprimamus pauperem iustum et non parcamus viduae nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiae quod enim infirmum est inutile invenitur. Circumveniamus ergo iustum quoniam inutilis est nobis et contrarius est operibus nostris et improperat nobis peccata legis et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Promittit se scientiam Dei habere et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum quoniam dissimilis est aliis vita illius et immutatae sunt viae eius. Tamquam nugaces aestimati sumus ab illo et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis et praefert novissima iustorum et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt et temptemus quae ventura sunt illi et sciemus quae erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei suscipiet illum et liberabit eum de manu contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus illum ut sciamus reverentiam illius et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus II